

9.1.77 num. 3



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-613918-p0002-9

DFG

DISPUTATIO INAUGURALIS

153.

*De*

*1657 d.*

CONCVR SV<sup>II</sup>  
DELICTORVM Disp. V.  
IN GENERE.

QVAM

28

DIVINO FRETUS PRÆSIDIO

*Auctoritate & Decreto*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI  
ATQUE CONSULTISSIMI IN INCLYTA  
ARGENTORATENSIVM UNIVESITATE  
CTORVM COLLEGII

*Pro summis in Utroque Iure Honoribus ac Pri-*  
*vilegiis DOCTORALIBVS legitimè consequendis*

SOLENNI EXAMINI  
subiicit

Die 24. Septembris.

JOHANNES ERNESTUS VARNBÜLER  
Hanoicus.



ARGENTORATI,

Typis exscrispsit SEBASTIAN-NICOLAUS HETSTEDT,

ANNO clo 1657.



N. 24  
VIRIS

MAGNIFICENTIA, NOBILITATE, AMPLE-  
TUDINE, PRUDENTIA.

ILLUSTРИBUS  
INCLYTÆ S. R. J. CIVITATIS

COLMARIAE  
CONSULIBUS ATQUE SENATORIBUS  
DIGNISSIMIS

Patronis meis Gratiolis.

*Continuandum eorum fauorem & perennan-  
tem gratiam in me prorogaturus.*

Exercitium hoc Academicum se-  
cundum & ultimum

*Submissâ devotione offero.*

Auctor



4

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI  
AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI, DO-  
MINI ATQUE PATRONI DEVOTO  
OBSEQUII CULTU SVSPICIENDI

**S**i solâ mei prodiens fiduciâ ad vos verba fa-  
cere non erubescerem, iusta potius teme-  
ritatem eam indignatio, quam vestrum  
me prosequeretur Patrociniū. Nefas enim fo-  
ret, sacras illas Vigilias, submissaq; admirandas  
veneratione quibus Civium Vestrorū pruden-  
tissimè defenditis salutem atque otium, tenui  
hâc exigui Auctoris oppellâ interpolare; Nisi  
vel in dignissimo illodignissimæ virtutis ve-  
stræ fastigio constituti sereno nihilominus  
vultu candorem Clientium etiam infirmissi-  
mo conatu ostensum dignaremini, vel insig-  
nis illius benevolentiae, quâ Parens quondam  
optimus, dum inter vos agebat, fuit gavisus, lu-  
culentos radios in me quoque quamvis in-  
dignum atque imprecarentem iure quasi here-  
ditario derivari beneficio didicissem non uno.  
Hoc est, cuius intuitu Inaugurale hoc labo-

A 2 rum

rum Academicorum specimen libentius atque fortius ad pedes vestros submissè deponi properet, cuius immaturam productionem vel hæc saltem sustinebit ratio, quod, ne nimis diu debitus devoti animi cultus suspendetur, præcipiti hac eruptione peccare, quam humilis obsequij, in quo iam diu jus habuistis quæsitum, longius differre maluerit argumenta. Exiguum igitur ingenij mei foetum non aspernati eo me favore fovere pergitte, qui ad omnia ea, quibus tum indecessa Præceptorum honoratissimorum cura, tum proprium instruxit instruet vestrum studium, Vestris consecranda servitiis mihi fuit incitamento. D E U S Rem vestram publicam prudentissimis Vestris Consiliis regat & augeat, liberâ que & diuturnâ frui tranquillitate patiatur: Vos vero omnes & singulos vitâ longæva, Valetudine Vegeta, gubernatione pacifica omniq; prosperitate beatos protegat, Patronosque mihi conseruet, qui ad vitæ meæ dies existere satago

*Magnifico vestro nomini*

Scr. Argentorati D. 14.  
Septembr. 1657.

Humilitate, Obsequio, Devotione  
Clien<sup>r</sup>s religiosè addictus

Joh. Ernestus Varnbuler

185

## I. N. D. N. I. C.

### Proœmium.



Quod Claudius Saturninus ICtus in l. 16. §. 1. ff. de  
Pœn. inter Septem modos, quibus delicta solent  
considerari, etiam quantitatem recenseat, equi-  
dem non sine ratione factum est. Quippe vel  
unius delicti saepius institutam reiterationem vel  
plurimum delictorum cumulationem ullius pa-  
rere impunitatem non minus injustum quam  
reipublicæ exitiosum esset l. 2. pr. ff. de priv. del. l. 8. §. 1. C. ad L. Iul. de vi  
publ. & priv. l. 14. C. de pœn. Vnde licet singulis delictis certum ali-  
quod supplicii genus ut plurimum legibus atque constitutionibus  
reperiatur irrogatum, ex innumeris tamen criminum circumstan-  
tiis atque accessionibus quæ in cognitione atque examine veniunt  
advertisendæ l. 11. pr. l. 16. ff. de pœn. difficile est pœnam legibus deter-  
minatam certo facto & delicto accommodare. Hunc discur-  
sum cum nuper post Exantata pro consequendis summis in utro-  
que jure honoribus statuta Examina in eligendo disputationis In-  
auguralis Themate sollicitus, incidisse, protinus arrisit, utque de  
delictorum concursu non nihil in medium proferrem, fuit, incita-  
mento. Quod ipsum brevissimè pro temporis atque ingenii ra-  
tione invocato Divini Numinis Auxilio sum annisurus.

#### Thes. I.

Quod delicti vocabulū (ut ab explicatione terminorum more  
hactenus consueto exordiar) à verbo delinquere, quod idem  
ac peccare significat, derivetur, grammaticis notum est, quasi is  
qui peccat, delinquit officium suum, & non prætereunda præter-  
mittat. Ut cunque autem in specialiori significatu de minoribus

A 3

tan.

2.

tantū atque privatis delictis prædicetur, & opponatur criminibus  
l.17. §.18. ff. de Ædil. Edict. Gothofr. ad Rubr. ff. de priv. del. generale tamē  
est, & quæcunq; peccata-crimina, flagitia, scelera in se comprehen-  
dit l.1.2. ff. de legib. l.1. §.f. ff. de poen. Vid. Nobiliss. Dn. Dr. Rebhan. Ictum  
Professorem Excellentissimum, Patronum, Ad finem atque Præceptorem  
meum Honoratissimum in Hodog Iur. Chart, 2. clm. 4. p. 605. quo sen-  
tu & nobis hoc loco usurpatum.

Thef. II.

Non uno autem eodemque semper nomine appellatur, sed  
venit interdum sub nomine maleficij pr. §.2.3. l. de obl. quæ quasi  
ex contr. nasc. pr. l. de Obl. quæ ex del. nasc. pr. & §.1. & ult. l. de Obl. quæ  
quas ex del. nasc. Interdum facinoris l.20. de O. & A. flagitij l.123. de V.O.  
l.17. §.1. de Test. Tur. Criminis §.7. l. de obl. ex del. l.16. de dol. mal. l.45. §.1.  
Locat. l.3. ad scit. Turp. l.1. §.f. de pæn. Admissi l.8. ff. de P.V. l.29. §.6. ad L.  
Jul. de Adult. interdum deniq; sub nomine peccati l.52. pr. & §.8. ff. de  
O. & A. & definitur, quod sit factum improbum & in honestum  
quo civilis societas læditur, quod impunitū non esse publicè inter-  
est l.4. l.25. §.1. l.52. §.8. de O. & A. Loca ad pr. l. de O. ex del. l.42. de V.S. l.51.  
§.f. ad l. Aquil. l.18. §.1. de Iudic. l.52. §.17. l.57. pro soc. C.A. de priv. del. §.3.

Thef. III.

Sic vox concursus à verbo concurrere, quod ex præpositione  
cum & verbo curro componitur derivata tam de personis, ut de  
Legatariis l.1. §.3. de Vſufr. Accres. l.80. de leg. 3. l.7. pr. C. de Legat. l.un. §.  
11. C. de Caduc. toll. Creditoribus l.7. ff. qui pot. in pign. quam de rebus  
prædicatur. Concurrentes enim quantitates dicuntur quæ utrinq;  
sunt æquales l.11. ff. de Compensat. l.34. §.5. de legat. 2. l.53. pr. de leg. l.  
Concurrentes actiones §. f. 1. si quadr. paup. fec. dic. cum loc. parall.  
quoties sc. duæ pluresve personæ vel res in considerationem simul  
veniunt, quo sensu etiam dicuntur concurrentia delicta, in l.2. pr.  
ff. de priv. del.

IV.

Combinatis duobus hisce terminis Concursus Delictorum  
hunc in modum describitur, quod sit Duorum pluriumve malefici-  
orum sive circa eandem rem, sive ad eundem finem, sive eodem  
tempore facta perpetratio, atque simultanea in judicium deductio.  
Ex quâ recenti descriptione eam non tantum absolutè & in se  
sed & respectu remediorum Iuris, quibus coercetur, venire consi-  
derandum apparet.

Thef. V.

3.  
Thef. V.

P. 56

Dividi fortasse poterit in personalem, in quo scil. unius delicti plures personæ, & realem in quo unius personæ plura delicta conveniunt: prior ille in omnibus indistincte, quicunque delictum conjunctim perpetravere, illud respicit, atque obligat unum quemque in solidum, quia singuli ex suo conveniuntur delicto. l. 7. §. 5. in fin. cum ll. seqq. de Iurisd. l. 5. §. 3. Ne quis eum. l. 11. §. 2. l. si. pr. & §. 1. ad L. Aquil. l. 5. pr. ff. de Noxal. Act. l. 34. de Iniur. l. 6. pr. Arb. furt. Cæs. l. 21. §. 9. l. 26. §. 1. de furt. l. 1. C. de Cond. furt. Posterior verò contingit vel facto uno, ex quo plura delicta promanant. l. 9. & ibid. gl. C. de Accus. Veluti si quis adulteriū cum incestu commiserit. l. 38. pr. ff. ad L. Iul. de Adult. aut in alienā uxore vi compresā vim simul & adulterium commisit. Pac. in Analy. d. l. 9. C. de Accus. aut si servum alienum injuriosè verberaverit, eoque illum deteriorem fecerit. l. 15. de R. V. unum factum & duo delicta; Item si id in Contumeliam Domini factum fuerit, duæ erunt injuriæ in uno facto. l. 15. §. 34. & 35. ff. de iniur. l. 34. pr. de O. & A. vel factis pluribus, quæ rursus subdistinctio nem requirunt, siquidem tendunt vel ad fines diversos. l. 2. §. 1. 2. 3. de priv. del. vel ad finem unum eundemque, quo casu objecti ratio est habenda, quippe quod in omnibus istis factis nonnunquam est unum & idem, l. 32. §. 1. in fin. ad L. Aquil. l. 9. pr. l. 28. ff. de furt. nonnunquam diversum l. 21. in fin. pr. & §. 8. ff. de furt. Cujus distinctionis usum sequentia declarabunt.

Thef. VI.

His ita præmissis ad causas ut transitus fiat necesse est, & primo quidem ad Efficientem remotam, cum quâ ferè coincidit ipsa procatarctica, varia sc. delinquendi occasio, quæ juxta probrium furem facere dicitur l. un. §. II. C. de Latin. Lib. toll. l. 5. §. 1. ff. de Pact. dotal. & impunitas, quæ maxima pecandi est illecebra l. 14. C. de pœn. Propinqua est depravatus hominis animus, qui niti in vetitum, semperque negata cupere assolet: nec tamen iste solus, cum in foro Civili legibusque humanis considerari non soleat, & cogitationis in mente retentæ pœnam nemo patiatur l. 18. ff. de pœn. 2. l. 25. de V. S. l. 13. de his qui not infam. l. 1. §. 1. de furt. c. 14. de pœnitent. dist. 1. sed insuper etiam facultas ipso facto sese ostendens requiritur. arg. l. 2. de Term. mot. l. 16. §. 3. de pœn. fac. pr. & §. 8. l. de oblig. que ex del. nasc. & Ibid Locam l. 52. §. 19. de furt. l. 15. §. 10. de Iniur. quorum neutrum

trum sine altero inter homines verū delictum constituit. l. 39. de furt. l. 14. ad l. Cornel. de sicar. l. 44. cum l. seq. ad L. Aquil. l. 38. §. 1. ad L. Iul. de Adulteriis. Et sic proxima, quæ etiam, sub nomine materiæ subjectivæ venit, est se ipse homo voluntate & facultate delinquēdi præditus: unde Animalia irrationalia injuriam facere negantur quod sensu careant. l. 5. §. 3. si quadr. pauper. feciss. dic.

Thef. VII.

Materia ex quâ ipsa sunt delicta, quæ sic concurrunt, ut omnium simul sit habenda ratio l. 2. pr. de priv. del. eaq; sive majora sive minora, sive ejusdem sive diversi generis. Ubi tamen Dd. distinguunt inter delicta ejusdem generis momentanea & successiva, in illis unumquodque factum pro singulari delicto: in his vero plures actus separatos ex intervallo commissos prouo tantum delicto reputantes. Farinac. lib. 1. rit. 3. quæst. crim. 22. n. 18. quorum tamen sententiam egregiè reformat Magnif. Dn. Dr. Tabor JCtus Excellentissimus Patronus & quondam Præceptor meus devotè suspicendus in Racem. Crim. 1. 9. 77. non sine ratione afferens, diversa facta, circa unum idemque objectum occupata & ad unum tendentia finem prouo tantum delicto in effectu censi, Adducto exemplo Furis, qui rem semel furto ablatam saepius contrectando unum tamen furtum fecisse dicitur l. 9. pr. ff. de furt., Adulteri in quo ejusdem Ancillæ iterata assecratio & constupratio unum tantum efficit flagitium l. 29. §. 5. A. & L. Iul. de Adult. & debitoris Creditoris suo Chirographum surripiens, posteaque demum delensis, ubi ex post facto prioris delicti pœna non crescit. l. 138. §. 1. de R. I.

Thef. VIII.

Materia subjectiva est ipse homo in quem delicta cadere possunt: à quibus eximuntur infantes & furiosi, l. 3. §. 1. de iuriur. l. 12. ad L. Corn. de sic. Impuberis dolii nondum capaces l. 23. ff. de furt. non autem pubertati proximi. l. 11. de R. I. & in quibus malitia supplet ætatem arg. c. 9. extr. de despons. impub. C. C. Art. 164. Quemadmodum neque Fœminæ, quæ & ipsæ delinquunt l. 9. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 28. ad SC. sylan. l. 4. de Extraord. crim. neq; servi l. 14. de O. & A. neq; filij-famil. l. 7. §. 1. de iurisdic. §. f. I. de Nox. Act. neq; prodigi (qui licet quo ad contractus & bonorum alienatione comparentur furiosis & infantibus l. 12. §. f. de Tut. & cur. dat. l. 4 c. de R. I. in delictis tamen hæc æquiparatio

9.

paratio cessat, cum prodigalitas per se sit delictum arg. l. i. ff. de cur  
fur) delicti incapaces censentur.

f54

Theſ. IX.

Obiectum hujus concutus pro concurrentium varietate delictorum variū est. Versatur enim tam circa Personas l. 27, pr. ad L. Aquil. l. 2. §. 1. de priv. del. l. 28. §. 3 de pæn. quam circa res l. i. §. 22. de tut. & rat. distr. l. 60. de O. & A. l. 21. pr. ff. de Furt. vel circa utrumq; l. 25. de iniur. Personæ distinguuntur in homines liberos & servos. Illi vel Præſunt familiæ, ut patres & matres famil. vel subsunt, ut filii filiæve fam. hi sunt vel servi vel Ancillæ. Res circa quas delinquuntur, sunt vel publicæ vel privatæ. Quod ipsum singula delicta contemplati planum fiet. Siquidem quocunque Objectum delicta seorsim considerata sibi vindicant, illud etiam in eorum concusus erit inspiciendum & in primis animadvertisendum, utrum concurrentia delicta unum, an vero diversa habuerint objecta: priori quippe casu subdistinctione res expedienda est: Ut siquidem unus etiam ipsis idemque finis fuerit, plura facta pro uno delicto; si vero diversus, singula facta pro singularibus delictis sint reputanda, quod supra Th. 7. jam ivimus demonstratum.

Theſ. X.

Forma tam in singulis delictis seorsim consideranda venit, quam in ipso eorum concursu: Singulorum delictorū forma interna est, voluntas seu ~~concupiscentia~~ & deliberatum delinquendi propositum, §. 7. l. de Obl. ex del. l. 44. cum l. seq. ad L. Aquil. Externā constituit Actus malignus l. 4. l. 25. §. 1. l. 52. §. 8. de O. & A. l. i. §. 1. l. 52. §. 19. de furt. l. 15. §. 10. de iniur. qui quatuor modis factō, dictō, scriptō & consilio perpetratur l. 16. pr. ff. de pæn. Ipse autē eorum concursus vel simultaneus est, vel successivus, & oritur vel ex uno factō pluribus delictis producendis idoneo l. 9. & ibid. gl. C. de Accus. l. 25. ff. de iniur. l. 13. de R. V. l. 34. de O. & A. l. 44. ad L. Aquil. vid. supr. Theſ. 5. Vel ex factis pluribus quæ aut sunt similia, ut si servus in re hereditaria ante aditam hereditatem damnum dederit, & liber factus in eadem hereditate damnum det. l. 48. ff. ad L. Aquil. l. 56. pr. de furt. vel dissimilibus ut si Tutor pecuniam pupillarem intercipit: quo casu eodem tempore duo facta duoque delicta intelliguntur commissa, quia & Tute lam malè administrat, & furtum committit. l. i. §. 22. l. 2. §. 1. de Tut. ex rat. distr. Plura exempla vid. in l. 2. & seqq. ff. de priv. del.

B

For-

6.

Thef. XI.

Formam probandi delicta in concursu eandem requirunt, quam seorsim etiam sibi vindicant: & haec vel directa est, vel indirecta: Illa perficitur propriâ Rei confessione l. 6. C. de pœn. quæ species est probationum consensu omnium liquidissima l. un. C. de Confess. Si scil. modis legitimis expressa, veritati consentanea & à reo in loco Iudicii ratificata fuerit. C. C. Art. 60. leg. 2. C. de C. stod. reor. nā alias fidē non mereretur l. 1. §. 17. & 27. ff. de quest. l. 20. pr. de Interrog. in iur. fac. vel testibus idoneis art. CC. 66. ad minimum duobus l. 12. de Testib. art. 67. aut Instrumētis apertissimis. l. 2. C. quor. appell. non recip. (præsuppositis sc. terminis habilibus. Vid. d. Rac. 1. 0. 40. & 41. C. I. A. de Fid. Instr. 0. 6. n. 2. haec vero. indicis luce clarioribus meridianal. f. C. de prob. Quamvis autem quilibet præsumatur bonus donec contrarium probetur. l. 77. §. 25. de legat. 2. c. fin. extr. de præsumpt. & facta, quæ cōtra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum sit l. 15. de cond. Inst. præsumptio tamen est contra eum, qui pluries unum vel affine delictum commisit c. 8. de R. I. in 6. c. 4. vers. respondemus in fin. extr. de pign. l. 7. §. 3. de accus. l. 5. §. 6. de re mil. quæ tamen præsumptio per se non est sufficiens, nisi alij qnoque fulcita sit adminiculis. Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 89. n. 101. Farinal. lib. 1. tit. 3. q. 23. n. 22. CC. Art. 25. ibi. Ob der Verdachte eine solche verwegene oder leichtfertige Person von bößen leumuth vnd gerücht seye; oder ob dieselbige Person dergleichen missethadt vormahls geþbt / vnderstanden habe / oder bezihen worden sey?

Thef. XII.

Circa finem notandum, eundem in singulis delictis seorsim spectari solere, ita quidem, ut fines isti, quos illa constitutos habent, sic etiam concurrent. Tendunt autem omnia delicta vel ad lucrum vel ad libidinem, hoc est, omnem effrenatam & temerè suscepitam rei illicitæ cupiditatem explendam. l. 1. k. 39. de furt. l. 16. §. 1. de pœn. l. 33. de iniur. Qui finis vel coniunctim vel divisim pro qualitate delictorum concurrentium & ipsi concursui erit adscribendus, in quo merito non reputantur ea, quæ vel in furore commissa l. un. C. si quis Imperat. male dix. l. pen. §. fin. ff. ad L. Pomp. de Paricid. l. 14. de offic. Præsid. vel defensionis causa l. 4. & 5. ff. ad L. Aquil. vel ad alterum emendandum facta sunt. l. 16. §. 2. de pœn. l. un. C. de Emend. propinq.

Thef. 13

158

7.  
Thes. XIII.

Nunc ad Effectum transeamus: Qui est Cumulatio Pœnam. Plura enim delicta plures desiderant pœnas: Cum contra rationem sit, ut Concursus delictorum pœnam præcedentium minuat, cum potius augere debeat. l.2. de priv. del. quod quatenus procedat ex distinctione *supr. θ. 5.* proposita demonstratu erit facile: quippe in personali concursu sine dubio singuli in solidum tenentur, & tot censemur delicta, quot sunt personæ delinquentium. l. 21. §.9. de furt. l.34. de iniur. l.9. de furt. l.34. de iniur. l.9. de Iurisdict. nec unius pœna cæteros potest liberare l.11. §.2. ad L. Aquil. ne ullius delicti detur impunitas l.51. §.f. ad L. Aquil. Ex quo haud sperenda patet differentia inter actiones rei persecutorias & pœnales intercedens: In illis enim cum veniat interesse Actoris, omnes unius solutione liberantur, quia sic consequitur actor quod sibi debetur, & adeo solutione unius tota solvit obligatio leg. 1. §.4. de eo per quem fact. leg. 1. §.14. leg. 15. de Tutel. & rationibus distraheundis ex quo fit, ut etiam actio quod metus causa, quippe ab initio tantū rei persecutoria, ex contumacia autem demum penalit. l.14. §.1. quod metus causa. quæ propterea etiam per actionem in rem consumitur, l.9. §.6. d.t. unius perimitur solutione l.14. §.fin. d.t. In his vero respiciendum est utrum ex vero an ex quasi delicto descendat: Priori quippe casu unius solutione obligatio cæterorum non extinguitur, cum unusquisque pœnam, quam suo delicto singuli in solidum meruerunt, solvere & sic obligatio in singulorum personis seorsim in solidum consistere credatur l.5. §. pen. ne quis eum l.1. C. de Cond. furt. l.7. §.f. cum L. seq. de Iurisdict. l.1. §.2. ad L. Aquil. Posteriori vero, ubi ex quasi delicto & sic ex culpa tantum, non vero dolo obligatio oritur, unius solutione omnes liberati docet l. fin. §.5. ff. Naut. caup. slab. Wes. &c. ff. de his qui effud. vel deiec. n.9. Bachov. in not ad Wes. ff. d.t. ne quis eum. n.4. lit. b.

Thes. XIV.

In Concursu vero reali aliâ subdistinctione res expedienda est: Si enim uno ex facto plura prodierint delicta, quæ singula separatas parvunt actiones, idem est, ac si unum delictum plures produceret actiones: refert enim, utrū res sive interesse an vero pœna petatur: quippe si quis altera istarum actionum rem sive id quod interest consecutus fuerit, id ipsum quidem alterâ actione denuo

peti non potest ne idem bis exigatur l. 51. in fin. de re iudic. l. 57. de R.I. quæ tamen ad pœnam consequendā rectè etiā intentatur. l. 32. de O. & A. In petendā vero pœna respicitur, an altera actio alterā sit pinguior nec ne? Quod si enim unā actione plus contineatur, utiq; licet antea jam ea actione quæminus continebat, aq;um sit, nō est prohibitū, alteram actionē in id quod superest, intendere l. 34. pr. l. 41. §. 1. de O. & A. l. 1. Vi bon. rapt. l. 88. de furt. l. 32. de O. & A. iunct. l. 1. ff. Arb. furt cas. l. 46. 47. ad L. Aquil. Quod si vero jam intentata fuerit actio gravior, vel cum altera in quantitate concurrens, tum certè per leviorem vel æquivalentem experiri non amplius licet, quia hæc per illam consumpta est, aut certè per exceptionem rei Indicatæ vel doli mali vel in factum removetur d. l. 43. ad L. Aquil. l. 14. §. 13. quod met. caus. l. 4. § pen. & ult. de nox. act. l. 53. de O. & A..

## Thes. XV.

Cæterum si plura delicta ex diversis factis emerſerint, à fine eorum petenda erit distinctio. Hic enim si in singulis delictis alius atque alius reperitur, pro hujus diversitate diversis quoque pœnis reis erit afficiendus. d. l. 2. de priv. del. l. 7. §. ult. de Accus. nec necesse est, ut objectum hoc casu distinguamus, cum & circa unum obje-ctum versantibus delictis idem sit dicendū. Exempl. in l. 2. §. 1. 2. 3. de priv. del. nec huic assertiōni obstat Paulus in l. 28. ff. de furt. ubi nihil ad pœnam adjici dicit, licet Creditor surreptum Chirographum postea deleat. Ipsa enim hæc duo facta subtractionis & deletio-nis non tantum in uno Objecto sunt occupata, sed insuper etiam unum finem habent præfixum; debiti nempe extinctionem, vel difficiliorem saltempobationem, quo casu plura facta pro uno delicto reputari constat ex iis, quæ supr. §. 7. & 9. retulimus..

## Thes. XVI.

Quoties enim diversa facta unum tantum finem appetunt, idemque objectum afficiunt, sine dubio unum tantum delictum in effectu censetur una tantum animadversione coercendum. l. 32. §. 1. in fin. ad L. Aquil. Covarruy. 2. Var. resol. c. 10. n. 8. Marsil. in l. ult. n. 20. ad L. Corn. de sicar. Sic furtiva res post semel in eā commissum fur-tum scipius iterata furis contrectatione furti vitium denuo non adsciscit. l. 9. pr. l. 67. §. 2. ff. de furt. nisi interim ad Dominum redie-rit, quo casu statim objectum diversum, diversumque censebitur delictum. l. 46. §. f. l. 56. pr. ff. de furt. quod etiam de adulterio dicere eadem

9.

159

eadem si adet ratio. Licet enim ex continuatione hujus criminis cum unâ eâdemq; personâ unicum tantum reputetur adulterium.  
*d.Rac.1.Thes.74.DnCarpzov.pract.Crim.part.2.q.62.n.63.Farinac.lib.1.*  
*tit.3.quest.crim.22.n.18.Wef.w ff.ad L.Iul.de Adult.n.19.Franc.Viv.lib.*  
*4.decis.36.n.7.eatenus tamen hoc verū esse arbitramur, quatenus*  
*sic peccans nunquā desuper fuerit incusatus.arg.c.10.extr.de iudic.*  
*cap.29.extr.deprabed.N.107.c.9.§.5.Auth.si quis et.C.ad L.Iul.de adult.*  
*Quod si enim semel jam deprehensus vel postulatus, & interces-*  
*sione coniugis Auth.sed hodie C.ad L.Iul.de Adult c.7.¶ 32.q.1.c.si illic.*  
*23.q.4.c.25.¶ fext.detureiur.ab ordinariâ pœnâ liberatus denuo hoc*  
*crimen cum eadem reiteraverit, duplicatū erit adulterium, & plu-*  
*ra delicta, adeo ut inter Dd. non perfunctoriis controvertatur ra-*  
*tionibus utrum post istam reiterationem conjux rursus interce-*  
*dens audiridebeat nec ne? Vid.Berlich.part.4.concl.27.n.110.Carp-*  
*zov.pract.crim.part.2.q.55.n.57.¶ seqq.*

## Thes. XVII.

Ex quo videre est, reiterati Adulterij æque ac reliquorum  
 criminum reiteratorum rationem esse habendam. Quæ reitera-  
 tion non minus ac plurimum delictorum concursus à Iudice venit  
 animadverterat l.3. §. 9. de remil.l.1.deIur.Patron.l.4.C.de serv.fug.  
*l.3.¶ 2.de Abig.c.Ita nos 25.q.2.c.15.27.q.1.ita quidem, ut vel remissio-*  
*nē criminis impedit l.3.C.de Episc.Aud.vel delictū per se nō capita-*  
*le capitale efficiat l.4.l.28.¶ 3.¶ 10.ff.de pœn.l.8 §.1.C.Ad L.Iul.de vi*  
*publ.¶ priv.l.un.C.de superexact.10.20.Const.Crim.Art.160.161.¶ 162.*  
*vel mortis pœnam exasperet; Cùm primis si ex intervallo delicta re-*  
*petuntur que magnam plerunque animi sapiunt obstinationem.*  
*Paris.1.Conf.10.n.5.¶ 7.Wesemb.4.Conf.194.n.15.¶ 16. quæ quo perti-*  
*nacior est, eo acriorem meretur pœnam d.l.4.ff.de pœn.l.38.¶ 6.ad L.*  
*Iul de Adult.l.3.de divort. velut in reiteratione Paricidii, Latrociniï,*  
*beneficii vel etiam homicidi rei pro modo vel numero perpetrato-*  
*rum criminum candente ferro ustulati vel trahæ solummodo illi-*  
*gati ad supplicii locum trahuntur, & ibidem neci traduntur, vel in*  
*pœnæ exasperationem & aliorum terrorem l.6.¶ pen.l.20.de pœn.ca-*  
*davera eorum rotæ imponuntur arg.art.130.137.¶ 194.Wesemb.ad*  
*¶ 6.l.de pub.Iud.Farinac.quest.Crim lib.1.t.3.q.20.n.134.Carpzov.p.1.q.*  
*24.n.16.¶ 75.quod tamē arbitrio prudentis Indicis ita committitur*  
*ut cum hodie omnes ferè pœnæ juxta facti ac personarum qualita-*

B 3

tes



tes in eodem sint repositæ l.3.C.Ex quib.caus.infam.irrog.ubi gl.l.hodie 3.ubi Bart. ff.de his qui not.inf.pœnas commensurando delictis t.nō afferamus 24.q.1.I,11.ff.de pœn.l.1.§.sed. & qui 2. ff.de Abig.neminem delinquendo cōditionē suam meliorem facere patiatur l. 134. §.1. de R.I. magis tamen in dubio pro molliendis quam exasperandis pœnis ferat sententiam l.42. ff.de pœn.

### Thef. XVIII,

Cæterum quæ de pœnarum cumulatione in concursu plurium delictorum hucusque prolata sunt, in tantum obtinent, in quantum pœnæ diversis delictis concurrentibus competentes sunt compatibles atque reiterabiles d. Rac 1. Thes. 78. quod dicendum de pœnis pecuniariis, vel in pœnâ exilii ad tempus impositi: Quæ animadversiones duplicari atq; multiplicati tam in quantitate pecuniarum quam in tempore exilii pro modo delictorum posse cuiuslibet rationi patet, quæ causa est, quod in Actione legis Aquiliae quæ damnum peccuniarum persequitur, reus & de vulnerato & de occiso nonnunquam teneatur l.32. §.1. ad L. Aquil. quod tamen secus est in ijs, quæ vel per rerum naturam vel aliam ob causam talem conjunctionem non admittunt, in quibus semper minus delictum cum majore confunditur. Farinac lib.1.t.1.q. 22.n.30. Iul.Clarsent. q.84.n.4.

### Thef. XIX.

Quoties igitur talia delicta simul in uno subiecto veniunt animadvertenda, quæ singula capitalem pœnam merentur, sine dubio unica tantum obtinebit, non quidem, quod alterum delictum alterius pœnam tollat, quod repugnaret d.l.2.de priv.del. sed quod per rerum naturam semel tantum quis morte puniri possit, & hoc casu majus delictum ad se trahit minus, ita ut reo majoris & atrocioris criminis supplicium solummodo imponatur, neglectis reliquo criminum pœnis levioribus arg.l.1. ff. vi bon.rapt.l.32. de O. & A.g.l. in l.2. de priv. del. & in l.9. C. de Accus. per trad. à Domino Carpzov, Pract.crim.p.3.q. 132. n. 19. & seqq. Sic reus de furto (quod hodie laqueo vindicatur ex Const. Friderici de Pac. tenend. 2. F. 20. §. si quis quinque. & Caroli V. CC.art. 160.) & Adulterio (cujus pœna gladius est l.30.C.ad L.Iul.de Adult.CC.Art.120.) vel homicidio (quod eandem cum adulterio pœnam meretur l.3. §. f.l.pen. ad L.Corn.de Sicar.l.pen. C.eod.Art.137.) simul convictus suspendio plerunque punitur, cum istz

ista pœna gravior sit decollatione. Vt cunque enim Adulterii vel homicidii crimen furto gravius sit, adeoque graviorem etiam merebatur animadversionem l.11. pr. ff. de pœn. non tamen est novum, ut propter delicti frequentiam pœna nonnunquam durior & atrocior statuatur. l.16. §. ult. ff. de pœn. quæ proinde plurium delictorum reo rectè adjudicatur. Iul. Clar. Pract. Crim. §. fin. quest. 84. n. 4. Hypol. de Marsil. in l. Si in rixa. n. 15. ff. ad L. Corn. de sic. gl. in l. qui de Crimine 9. C. de Accus.

### Thes. XX.

In Criminibus tamen atrocissimis res non est adeo expedita, quando horum concurrentium enormitas peculiarem pœnæ se veritatem requirit. Augmentum enim eo in casu suppicio tunc addendum erit, si vel alterius delicti pœna singulare quid habeat, simul cum suppicio reliquorum severissimo exercendum, vel unumquodque si reiteraretur, exasperationem criminis requireret, quod maximè in pœna latrocini (quod rotam alias simpliciter metetur CC. Art. 130. ibi. Der soll einem fürgesetzten Mörder gleich mit dem Rad zum Tode gestraft werden & art. 137. §. 1. ibi. Und also daß der gewohnheit nach ein fürsäklicher mutwilliger Mörder mit dem Rad gestraft werden soll.) videre est, quæ si cum specie Parricidii concurrat, exasperatur: l. i. ff. ad L. Pomp. de parric. iunct. CC. Art. 134. Qui Articulus licet certos tantum casus referat, non tamen dubitandum est, quin idem quoq; in casibus aliis similibus & atrocioribus obtineat, quemadmodum hoc pœnæ augmentum in crimen Veneficii, quod Latrocinio æquiparatur, Iudicis arbitrio committitur. Art. 130. vers. doch zu mehrer furcht in verb. nach ermäßigung der Person vnd tödtung. Cum Iudex in atrocioribus pœnam ordinariam aggravare & in defectum legum de similibus ad similia in pœnalibus procedere possit. Modestin. Pistor. part. 2. q. 92. n. 21. Farnac. part. 1. prax. Crim. quest. 17. arg. l. 16. §. 1. ff. de pœn. l. 4. §. 1. in fin. de incend. ruin. naufr.

### Thes. XXI.

Quod si vero duo delicta concurrunt, quorum alterum capitalem alterum vero corporis afflictivam meretur, altioris Indaginis est quæstio. utrum ambae conjungi possint, an vero gravior minorem absorbeat? in quâ tamen omissis quæ in utramque partem disputari possent argumentis cum Domino Carpzoy. p. 3. q. 132. n. ii. &

62. cum

62, cum seqq. Farinac. Prax. Crim. lib. I. tit. 3. q. 22. n. 30. & 31. Salycet. in l. 5. n. 3. & 4. C. ad L. Iul. de Adult. Nicol. Reusn. lib. 2. decis. 20. n. 16. posteriori calculum adjicimus imprimis in eodem genere delicti arg. CC. art. 163. ibi nach der meisten beschwörung Vid. Magnif. Dn. Tab. in Analy. d. art. 163. th. 3. cum duplice pœna nemo facile sit afficiendus c. Et si Clerici 4. in fin. extra de India. Wes. n. ff. de pœn. n. 7. & maximè si hæ inter se sunt incompatibles, quales Corporis afflictivæ tum inter se, tum ratione concurrentium capitalium à Dd. habentur, & proinde nunquam aut raro cumulari solent. Nec est, quod ab adiustione ferri Candens nobis instantia fiat, hæc enim non est peculiaris pœna Corporis afflictiva, sed augmentum ultimi supplicii ipsis constitutionibus comprobatum. art. 130. 131. 137. & 194. nec ab eâ ad alias pœnas levioribus delictis competentes quipiam inferendum: Hæc tamen non sine limitatione prolata volumus, nisi sc. delictorum concurrentium gravitas & quantitas aliud postulet, prudentemque Iudicem ad severiorem sui animadversionem impellat: Veluti si Bigamia (per se capitali animadversione digna CC. art. 121.) Abigeatus reitereatus, qui ipso furto gravior severiorem etiam & nonnunquam capitalem de Iure civili meretrī pœnam l. 1. pr. l. 2. & tt. ff. de Abig. art. 107. & 108. & perjurium duplex ( manus amputatione vindicandum ) in uno malefico concurreret, quo casu post abscissionem dextræ pœnam etiam Capitis reus iste non injustè sustineret, quod non ita pridem ab Inclyto Reipublicæ cuiusdam Magistratu prudenter practicatum novimus: Eandemq; pœnam Latronibus & infanticidis irrogatam esse meminit Dn. Manzius in Append. Commentarii ad sanct. Carol. n. 32. hancque manus abscissionem suspendio jungi testatur se vidisse Farinac. d. lib. I. t. 3. q. 22. n. 31. Vid. Gothofr. in Auth. sed novo C. de serv. fugitiv.

### Theſ. XXII.

Et hâc etiam incompatibilitatis ratione nititur Regula, quam Dn. Carpzov. tertio loco adducit in Pract. Crim. p. 3. q. 132. n. 67. dicens quotiescumque plura delicta concurrunt, quæ singula diversis pœnis corporis punirentur, non nisi unam ex his pro omnibus pariter delictis Reo imponendam esse: scilicet quod iniquum sit, corpus humanum pluribus modis lacerari. Arg. N. 134. c. 13. Vnde egregia inter Dd. vertitur quæſtio, utrum ille cui propter delictum manus amputanda erat, cum unicam tantum habeat, eandem quoque amittere

amittere debeat? Vid. Bachov. in not. ad Wesemb. π. ff. de pœn. n. 3. Quod  
sane ceu nimis rigorosum & equus Iudex non facile concedet, vel  
hanc pœnā prorsus reo remissurus, vel eandē in aliud pœnæ genus  
commutaturus. monente Iul. Clar. s. sentent. §. f. q. 69. n. 5. Hartm. Pistor  
obs. 88. n. 3. Dn. Carpz. pract. Crim. p. 1. q. 40. n. 47. & p. 3. q. 129. n. 37. Quæ  
tamen regula suas exceptiones admittit in eo, qui cum relegatio-  
ne aliam quoque corporalem pœnam velut fustigationis sustinet.  
Art. 198. ibi. Darnach die zween rechte Finger darmit er mishandelt  
hat abgehauen/ auch furter des Landes bis auf kündliche erlaubung  
der Obrigkeit verwiesen werden soll. Item: vnd furter mit ruten auf-  
gehauen auch des Landes bis auf kündliche erlaubung der Obrig-  
keit verwiesen werden soll.

### Thef. XXIII.

Nec tantum pœnæ corporales juxta se stare non possunt, sed  
etiam confiscatio bonorum, quæ olim capitalibus pœnis ex quibus  
mors naturalis vel civilis Reo contingit, perpetuæque relegationi  
ut sc. omnes animi & corporis cruciatus etiam mendicitas conse-  
quatur Wes. w. ff. de bon. damn. n. 1. adjungebatur l. 3. & 4. de Interdict. &  
releg. l. 1. pr. de bon. damn. l. 4. pr. l. 10. C. eod. l. 8. C. de pœn. per Justinianum  
est sublata excepto læsa Majestatis Crimine. Auth. Bona donatorum  
C. de bon. præscr. quæ quidem Authentica, quamvis non videatur ab  
Inerio bona satis fide descripta, cum in N. 134. ex quâ desumptâ ad  
Ascendentium tantū & descendētium, nulla vero Collateralium  
mentio fiat; illius tamen sententia procul dubio hodie est recepta  
communiter: Hæc abrogatio ab Imp. Carolo V. in CC. art. 218 con-  
firmata in linea rectâ in tantum observatur, ut si etiā per statutum  
bona publicantur, salva debeat esse filiis & ascendibus legitima.  
Arg. Auth. Incestus. C. de Incest. Nupt. C. I. A. de bon. damn. 8. 5. n. 7.

### Thef. XXIV.

Porro ad Effectum etiam refertur quæstio de foro Compe-  
tentia: ubi nempe is, qui pluribus locis deliquit, sit puniendus? Sane  
coercendis sceleris triplex forum esse constitutum patet, domicilii  
puta, arg. l. 2. C. de Iurisdict. l. 7. §. 10. ff. Interdict. & releg. Pac. ad tit. C.  
ubi de Crim. n. ult. Farinac. lib. 1. t. 1. q. 7. n. 1. Delicti. l. 3. de offic. Præf. l. 7. §.  
pen. & l. fin. ff. de Accus. l. 7. ff. de Custod. Reor. N. 69. c. 1. l. 1. C. ubi de Crim.  
l. 1. C. ubi senat. & deprehensionis d. l. 1. & 2. C. ubi de Crim. VVesemb. π.  
ff. de Iudic. n. ult. Unde olim hanc quæstionem difficultate non caru-

C

isse

is exinde colligitur quod Magistratus illius loci, ubi delictum est perpetratum, reum alibi commorantem advocare & ipsius remissionem ab illis petere potuerit, in quorum territorio delinquens agere dicebatur leg. 3. de re mil. leg. 28. §. 15. de pæn. leg. 7. §. 4. de Accus. leg. 7. de Custod. reor. N. 61. cap. 1. N. 134. cap. 5. Missis simul ad deducendum & exhibendum, eundem executoribus d. l. 7. de Custod. & exhib. Reor. Qua ratione reus vel in diversis locis, quatenus in singulis deliquit, puniri necesse habebat. l. 7. §. de Accus. vel ab uno Magistratu alterum præveniente (quod magis probabile est) pro omniibus delictis tam in alio quam in suo territorio commissis coercendus erat. arg. l. 7. de Iudic. c. 19. extra de for. compet. c. 59. extra de Appell. l. 32 ff. de procur. Quoties enim duæ Iurisdictiones concurrunt, æquales, apud quemlibet possessorum est solida, & præventioni locus datur. c. cum plures 8. de off. deleg. in 6. Gail. 1. O. II. & 29. n. 4. Quoniam autem istæ remissiones non amplius vel raro saltem exercentur, & quod olim fuit necessitatis hodie est arbrii Gail. 1. O. 56. n. 5. & de pac. publ. lib. 1. c. 16. n. 30. & 31. Wesemb. 7. ff. de Iudic. n. ult. & de Accus. n. 8. res ultro sese prodit, cum puniri quis possit ubiunque locorum reperitur d. l. 1. C. ubi de Crimin. etiamsi ibidem nec degerit nec deliquerit. d. l. 1. & ibid. gl. ubi de Crim. l. 3. de offic. Præf. Paurmieß. lib. 2. de Iurisd. c. 4. n. 105. & c. 8. n. 104. Vult. in d. l. 1. n. 40. C. ubi de Crim. Covarr. Pp. qq. II. n. 3. Gilhaus. Arb. Crim. c. 1. n. 113. quod maximè in vagabundis, quales hi, qui pluribus in locis gravius delinquere non eruerunt, ut plurimum censemur Farinac. lib. 1. t. 1. q. 6. n. 13. Vid. C. I. A. de Iudic. 6. 232. & de Accus. 6. 8. & tantum de effectu.

### Theſ. XXV.

Cum hoc ipso delictorum concursu affinitatē quandam habere videtur Concursus Actionum, qui definitur jus pluribus remedij id quod sibi debetur in Iudicio plenè persequendi: Et dividitur in concursum sive Concurrentiam actionum in specie sic dictam, & earum cumulationem. Illa est legitima plurium Actionum ejusdem rei nominem competentium successiva productio & intentatio l. 79. §. 5. de legat. 2. l. 52. de O. & A. l. 47. ad Aquil. Hæc vero plurium Actionum in eodem libello adversus eundem facta coniunctio atque compilatio. l. 10. & Ibid. Gothofr. de A. E. Gail. 1. O. 63. Circa quam materiam exactiori cognitione dignissimam brevissimè notamus, non illas Actiones proprie concurrentes dici, quæ ex diversis causis pro-

propter diversas res uni adversus eundem competit, & simul in solidum intentantur l. 29. de O. & A. arg. l. 11. ff. de Iurisdict. Neque etiam eas quæ alternatim tantum concurrunt, ita ut una electa ad alteram non detur regressus §. 6. l. de O. ex del. iunct. leg. fin. §. 1. C. de furt. leg. 28. §. 1. de iniur. leg. 33. in fin. de legat. 1. leg. 78. §. 8. de legat. 2. leg. 20. de opt. leg. l. fin. pr. de codicill. leg. 3. §. fin. leg. 6. §. fin. Naut. caup. stab. sed eas tantum quæ eidem adversus eundem l. 10. ff. de A. E. l. 5. pr. ff. de fideiuss. ex eadem obligatione l. 53. de O. & A. sive ex uno facto l. 34. pr. l. 41. §. 1. de O. & A. ejusdem rei nomine §. ult. l. si quad. paup. sive de eadem pecuniâ l. 43. §. 1. de R. I. l. 60. de O. & A. ita competit, ut singulae exerceri queant, ita quidem, ut si una earum jam actum fuerit, reus ab alterâ non liberetur, nisi quatenus & quo usque ex altera est perceptum l. 34. pr. & §. 1. de O. & A. l. 28. de A. E. l. 2. §. 1. de Tut. & rat. distr. Vid. Magnif. Dn. D. Tab. in Rac. Crim. ad l. 88. de furt. Excellentiss. Dn. D. Rebhan. in hodog. Iur. Chart. 2. Clim. 4. p. 760. Locam quest. Inst. 382. C. I. A. in tit. de quib. reb. ad eund. Iudic. eat. th. 27. de O. & A. th. 25. & de priv. del. th. II.

### Thes. XXVI.

Ad contraria denique pertinent, quæ vel delicta non censentur, sc. commissa emendandi causa l. 16. §. 2. de pœn. furore l. 14. de Off. præf. l. 12. de fiscar. ætatis Imbecillitate l. 111. de R. I. l. 23. ff. defurt. vel pro uno tantum delicto reputatur, sc. si plura facta circa eandem rem ad unum finem tendant. de quib. vid. Thes. 5. 7. 9. 10. vel quæ pœnam tollunt, ut præscriptio l. 12. C. de fals. l. 2. §. 1. de requir. reis l. 29. §. 6. ad L. Iul. de Adult. l. 13. ad scr. sylan l. 7. ad L. Iul. pecul. Abolitio & remissio à summo principe facta l. 1. & t. t. de sent. pass. & rest. l. 12. de Abolit. vel quæ dupli pœnâ reum affligi non patiuntur ut incompatibilitas de qua Thes. 18. & 19. Plura addere neque temporis neque instituti patitur ratio: Proinde hæc discursui Academico sufficient, quæ si, quod facile concedo, totam hanc materiam satis difficilem non ex hauriunt, summa tamē capita tantum attigisse non tam ingenium ostensuro, quam legibus Academicis satis facturo Lector benevolus indulget, sua eruditione, quæ adhuc dicenda erant, suppleturus.

DEO O. M. sit Laus, Honor & Gloria  
in sempiterna secula.


 Ad  
Nobil. & Præcellentissimum Dn. Docto-  
randum disputantem.

M Acte ERNESTE animis! etiam Te publicus armat  
In secli Zelustristia probra tui.  
Vix jam simpliciter delinquere tempora norunt:  
Delictis crescunt crimina quæque novis.  
Ergo insana modis gravioribns illa voluptas  
Peccandi, ut sistat flamma, domanda venit.  
Accumula pariter mœsti instrumenta furoris,  
Justitiâ, imo fera hæc vulnera adure, seca.  
Huc sese invitos cogi, cogi tamen, omnes  
Orbi jam pridem condoluere boni.  
Tu calamo pugnas, pugna quoque fortiter olim,  
Cùm vitæ aut mortis vox tua Jura dabit.

scribſ. gratulab.

Johannes Rebhan, D, & Pand.  
Prof. Ord.

**ULB Halle**  
003 882 810




3

(f) 56

Kmz





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS

*De*

ONCVR SV  
DELICTORVM  
IN GENERE.

153.

1657 d.

Disp. v.

28

//

QVAM

DIVINO FRETUS PRÆSIDIO

*Auctoritate & Decreto*

GNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI  
TQUE CONSULTISSIMI IN INCLYTA  
ARGENTORATENSIVM UNIVESITATE  
CTORVM COLLEGII

*Summis in Vtroque Iure Honoribus ac Pri-  
vilegiis DOCTORALIBVS legitime consequendis*


SOLENNI EXAMINI

subiicit

Die 24. Septembr.

JOHANNES ERNESTUS VARNBÜLER

Hanoicus.



ARGENTORATI,

*sexscripsit SEBASTIAN-NICOLAVS HETSTEDT,*

ANNO clo Ic LVI.

